

Intellectus huius tabulæ regionis;



Adices mediorum motuum, quas in principio in tabulas relatas, offendis,
candide lector, scies ad uerum meridianum inclytæ ciuitatis Norimbergæ
compositas esse. Quod si tamen ad alterius uel ciuitatis uel regionis me-
ridianum habere uolueris, quærendū erit ciuitatis tuæ nomen in hac ta-
bula, si tamen ibi est adscriptum: Quod si quælibet ciuitatis nomen minime
in tabula descriptum fuerit, uicinior locus eligendus erit, & numerū horarū, si quæ sint,
uel etiā minutorū sub titulo tempus, repertū, adde uel subtrahē iuxta præcedentī lit-
erarū ex gentiam à tempore coniunctiōis, oppositionis, uel etiā aspectus Solis & Lu-
næ. Hac etenim uia facile reduces illud tempus ad meridianū quæsiti à te loci ciuitatis
uel regionis. Pro radice uero motus reducenda ad alium meridianum, ita operare.
Quære ex tabulis motuum, planetæ tui motum in horis & minutis temporis, quod
ex tabula hac regionum iuxta nomen tui loci accepisti: & motum tot horarum, uel
etiā minutorum, à radice Norimbergensi minue: si circa eum locum in columnula
minutorum Lunæ M literam inuenies: quoniam talis locus orientalior est Norim-
bergæ, uel adde eundem motum horarum uel minutorum radici Norimbergensi, si
circa eum in columnula Lunæ litera A ponitur: quoniam talis locus occidentalior est
Norimbergæ. Et tunc illud quod remanet, seu prouenit post additionem uel subtra-
ctionem, est radix motus illius planetæ, ad illam tuam habitationem. Hæc res & in
Ephemeridibus in locis planetarum: ob eorum motus tarditatem: non obseruer,
propter modicam diuersitatem: in Luna tamen hoc idem negligendum non erit.
Quare si locum Lunæ uerum ad meridianum Norimbergensem habes, uelles lo-
cum eius uerum, non mutata radice: ad meridianum tuæ habitationis reducere. Ac-
cipe in tabula hac regionum in columnula Lunæ, iuxta locum tuæ habitationis mi-
nuta cum nota A uel M, quæ adde uel minue, iuxta literarum exigentiam, à loco Lu-
næ uero super meridiano Norimbergensi collecto, & habebis locum Lunæ ad me-
ridianum tuum. Causa autem quare tempus, quod est inter duos meridianos, debet
addi pro ciuitate orientaliori, & subtrahi pro ciuitate occidentaliori, & medijs motus in
tanto tempore debent addi pro occidentaliori, & subtrahi pro orientaliori, est illa.
Quia in tanto tempore quantum est inter duos meridianos, prius est meridies, &
quæcunq; alia hora in ciuitate orientaliori quam occidentaliori, ut exempli causa:
si tale tempus esset una hora, tunc quando in ciuitate orientaliori esset hora prima,
tunc in occidentaliori esset meridies, & quando in orientaliori esset hora secunda,
tunc in occidentaliori esset hora prima, & è conuerso. Et ideo si habetur pro ciuita-
te occidentaliori coniunctio in meridie, tunc in orientaliori, erit hora prima. Et si
habetur in occidentaliori hora prima, tunc in orientaliori est hora secunda. Addatur
igitur semper una hora ad coniunctionem inuentam ad ciuitatem occidentaliorē,
& habebitur tempus coniunctionis pro ciuitate orientaliori, & è conuerso, si habetur
tempus coniunctionis pro ciuitate orientaliori, tunc subtraheretur ab ea una hora,
& haberetur pro occidentaliori. Sed habitu medio motu ad ciuitatem occidentalē,
tunc medius motus, qui est in tanto tempore, scilicet in una hora, debet subtrahi à
medio motu ciuitatis occidentalis, & habetur medius motus, eadem seu consimili
hora in ciuitate orientali, & è conuerso. Si habentur medijs motus pro ciuitate orienta-
tali, tunc medijs motus in una hora eis addantur, & habebuntur pro ciuitate occiden-
tali consimili hora. Sciendum etiam quod supputationes Astronomicæ, dies æqua-
les præsupponunt, ea ratione omnes motus in Ephemeridibus sunt ad dies æquales
positi. Sed quia cum dies in rei ueritate æquales non sunt, quidam subtrahunt æqua-
tionem dierum à tempore super quo motus quærunt, & iuste quidem, si motus pro
certo determinato tempore quærunt. Pro Ephemeridibus, uero conficiendis, nō erit
opus, nam non multum diuersitatis ingerit æquatio hęc dierū in planetis, ob eorum
motus tarditatem. In Luna autem, cuius motus in Ephemeridibus etiā ad dies æqua-
les cal-